



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrīs Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 9. Quām longē melior sit conditio pauperum, conditione diuitum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

pestes, quæ subitas mortes, post se, trahunt.

Psal. 103. Quod per imprecantis modū prædixit Psaltes. Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita

35. ut non sint; hanc habent intemperantiæ suæ

mercedem, quib⁹ in solo est viuēdi causa palato,

hoc est, qui non comedunt, vt viuant, sed vi-

uunt vt comedant; neque à Deo escam (ipsis

pullis coruorum deteriores) expectant, sed,

vt abundant, etiam egenos spoliant. Talis

descriptus est illis verbis: Sedet in insidijs, cū

diuitibus in occultis, ut interficiat innocentem.

Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in

abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur,

ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum at-

trahit eum. Quid ergo illi continget? Ca-

det cum dominatus fuerit pauperum. Paupe-

rum enim sanguis in venenum ei erit, non in

alimentum.

§. IX.

*Quām longē melior sit conditio pauperum
conditione diuitum?*

Hæc cum ita sint, ite iam, pauperes, &
dicite, Deum vobis esse inclementem: lau-

date, diuites, sortem vestram, iminō deplo-

Matth. 5. rate. Veritas pauperes *beatos* vocat, beatos

Luc. 6. qui esuriunt: de diuitibus autem quid dicit?

Matt. 19. *Va vobis diuitibus, va, qui habetis consolationem*

vestram

vestram: vñ vobis, qui saturati estis. Amen
 dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnū
 cælorum. Iterum dico vobis, facilius est, came-
 lum per foramen acus transire, quam diuitem
 intrare in regnum cælorum. Vtrum horum
 iam præstabilius est? vtrum consultius? di-
 uitē esse, an pauperem saturari, an macera-
 ri? O quantam hic ganeones, Eucliones, Vi-
 tellij, epulones erubescendi atque se se sub-
 mittendi causam habent? quantum maci-
 lenti, Iri, esuriones solatium! Si in eodem
 carcere duo sint, quorum alteri suspendium
 à magistratu significatum; alteri dimissio ac
 libertas; vter plus gaudet, vel dolet? Pincer-
 næ in vincula dato Ioseph prædixit, post tres
 dies, in pristinum gradum restituendum; pi-
 stori, post tres dies, ad coruos iturum; cum
 vtro tu esse voluisses? nonne cum pincerna?
 At quid Christus diuitibus & splendidè epu-
 lantibus, quid pauperibus & tenui victu vi-
 tam sustentantibus dixerit, audiisti: cum
 quibus igitur censes fortunatius agi? Nōne
 insania est, diuites quosdam de æterno sup-
 plicio, quò sunt certiores, eò esse superbio-
 res? Diogenes, sceleroso cuidam, probri gra-
 tia, obijcienti paupertatem: ob paupertatem,
 inquiebat, neminem vidi torqueri, ob malitiam

Gen. 40.
13.

ms. b.

multos; neque in gehenna quisquam torquebitur ob abstinentiam exquisitorum ciborum; torquebuntur autem multi; quia epulati sunt quotidie splendide.

§. X.

Canis & porci fabula macilentis & pinguis accommodata,

Quadrat huc fabula rustici porcum & canem alentis. Canis interdiu ouium gregem cogebatur comitari in pascua; contra lupos & aliarum ferarum incursum pugnare; sustinere aestum & frigus; nimbos & niues pati; tolerare famem & sitim. Nam totis diebus, vix bucceam panis à pastore accipiebat; & plerumque, ubi etiam bestiarum dentibus saucius oves domum reducebat, præter arida ossa, vix quidquam obsonij accipiebat, quod reciperet. Porcus verò genio indulgens & cuticulam suam curans, (si tamen non corium potius) totus ocio & sagina pingue sciebat; interdiu semper in cœno & pastu, noctu, in stramine & somno; cum cani præforibus excubandum, & contra fures indefinenter peruigilandum esset. Impatientia ergo tandem, atque inuidia stimulatus Hyllactor, non sine eiulabili latratu, rustico exprobrauit rei indignitatem, ut qui setosum, foedum,